Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26366
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dum is pupillus esset. Quare quoniam filii fuerint testamento patris, nomina fiant necesse est. Infirmatio: non

Immo pater sibi scripsit.

et sibi et filio testamentum scripsit. et secundum heredem non filio sed
sibi iussit esse. Quare preterquam quod ipsius fuit: intestamento illius
esse: verum non potest. Iudicatio. Possitne quisquam de filii pupil
li re testari. an heredes secundi ipsius patris familias: non fi
lii quoque eius pupilli heredes sint. Atque hoc non alienum est. quod ad mul
ta pertineat. ne aut nusquam aut usque quaque dicatur. hic admonere.
Sunt cause. que plures habent rationes in simplici constituti
one. Quod fit cum id quod factum est aut quod defenditur pluribus de
causis. rectum aut probabile videri potest. ut in hac causa
ipsa. Supponatur enim ab heredibus hec ratio. Unius enim pecu
nie. plures dissimilibus de causis heredes esse non possunt.
Nec umquam factum est ut eiusdem pecunie. alius testamento. alius lege
heres esset. Infirmatio autem hec erit. Non est una pecunia.
propterea quod altera pupilli iam erat adventicia. cuius heres non illo
in tempore in testamento quisquam scriptus erat si quid pupillo ac
cidisset. Et de altera patris etiam nunc mortui voluntas
plurimum valebat. que iam mortuo pupillo suis heredibus
cedebat. Iudicatio est una ne pecunia fuerit. Aut si hac
erunt usi infirmatione. posse plures esse unius heredes pec
cunie dissimilibus de causis. de eo ipso iudicatio nascetur.
possint ne eiusdem pecunie plures dissimilibus generibus
heredes esse. Ergo una in constitutione intellectum est.
quomodo et rationes. et rationum infirmationes. et preterea iu
dicationes. plures fiant. Nunc huius generis precepta videamus.
Utrisque autem. etiam omnibus si plures ambigent. ius ex
quibus rebus constet considerandum est. Initium ergo eius ab natu
ra ductum videtur. Quedam autem ex utilitatis ratione
aut perspicua nobis. aut obscura in consuetudinem venis
se. post autem approbata quedam aut a consuetudine. aut
vera utilia visa legibus esse firmata. Ac nature quidem ius
esse. quod nobis non opinio. sed quedam innata vis afferat. ut re
ligionem. pietatem. gratiam. vindicationem. observantiam. ve
ritatem. Religionem. eam que in metu et in cerimonia deorum